

B. n. I, 317
h. 6176

DISSERTATIO JURIDICA
DE

**OBLIGATIONE
VASALLI
ERGA
CONVASALLUM,**

II R
3176

Von
**Der Verbindlichkeit eines Vasallen gegen
seinen Herr-Vasallen;**

PRÆSIDE

DN. PETRO SCHULTZEN,

J. U. D. ET INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
PROF. PUBL. ORDINARIO,

RESPONDENTE

JOAN. ANDREA AB ÜCHTRITZ,

EQUITE VET. MARCH.

HABITA

FRANCOFURTI AD VIADRVM

D. XXVI. JULII A. MDCLXXXIV.

JAM RECUSA.



MALÆ MAGDEB. SUMTU HENDELIANO, 1736.



1848
1848



PERILLUSTRIBUS
ET
GENEROSISSIMIS,
GENEROSIS ET MAXIME STRENUIS,
DN. DN.
BARONIBUS,
RELINQUISQUE
ORDINIS EQUESTRIS
STATIBUS VETERIS
MARCHIÆ BRANDEN-
BURGICAE,

DOMINIS suis Admodum BENIGNIS
omnique honoris cultu prosequendis,

OBSEQUIUM
ET
OBSERVANTIAM





GRatitudinem, PATRONI DE-
VENERANDI, firmissimum
esse societatis humanæ vincu-
lum, ipsa ratio, & cum ratione con-
juncta longa rerum experientia osten-
dit, siquidem ex hoc fonte nostra fluit
felicitas: hic est scopus, quem affe-
ctant omnes pii, videlicet ut gratos se
præstent illis, a quibus experti bene-
volentiam, potissimum vero, ne bene-
ficii collati pœniteat benefactores.

Hæc

Hæc dum & ego animo volvo, depre-
hendo, MAECOENATES
MAXIMI, beneficia a VOBIS in
me delata, video Vestrum affectum;
video, ipsis merito tribuendum esse
plurimum, a quibus plurimum diligi-
mur. Ausus igitur prostantibus in
me collatis beneficiis, chartaceum hoc
munus ad Vestros deferre pedes; te-
nue est illud, sed solatur me, nec illos
male facere, qui tibiis canunt, tibus
qui nequeunt, & mola falsa litare, qui
thura non habent; magisque animum
obsequiosum, quam rei valorem a bo-
næ mentis PATRONIS attendi. Ea
de causa & ego confido, PATRONI
MAXIMI, exile hoc ab ingenio meo
munus vobis auro carius futurum,
præsertim dum voluntatem ipsa fortu-
na in me valentiolem deprehenditis

A 3

hinc,

hinc & tanto audentius primitias ha-
sce studiorum meorum offero: acci-
pite hasce benevola fronte, & quem
hactenus favore Vestro dignum cen-
suis, in posterum prosequi non de-
dignemini, qui nunquam desinet
esse

PERILLUSTR. & STRENUAR.
VESTRAR. GENEROSIT.

Cliens devotissimus

JOAN. ANDREAS AB UCHTRITZ.





PRÆFAMEN.



Idem præstantissimum esse bonum nullus dubitat; fides est, quæ hominem cum DEO jungit; fides est, quæ societatem humanam conservat; siquidem non fortius vinculum datum humanæ societati, quam fides; hæc est conservatrix magnæ illius universitatis, hac deficiente, videbis hominem prædam animalium ac victimam futurum. Quapropter merito obligatus est homo hanc servare, ut DEO Ter. Opt. Maximo, ita Vicario ejus, Principi, huic enim summum illud Numen concessit Imperium in homines, in hunc ipse subditus sponte, nec coacte contulit omnem potestatem, & rerum suarum arbitrium, omniaque jura. Obligatus quidem est quilibet homo homini, ob commune societatis vinculum, cum inter nos, secundum Jctum Florentinum, cognationem quandam natura constituerit; attamen unus uni magis, quam alteri obstrictus; sic subditus magis Principi illi, sub ejus Imperio quietem capit,

pit, quam alteri, qui Domini sui amicitiam colit. Vasallus, de quo disputatio nostra loquitur, obligatur quam maxime Principi suo, neque usquam hac de re in contrarium disputatum, neque disputabitur; siquidem ea, quæ notoria sunt nullius indigent probationis, hocque argumentum pluribus expresso prosecutus est Philipp. Knipschildt *in Informatione de Obligatione Vasalli erga Dominum*; at Obligatio Vasalli erga Con-Vasallum res singularis est, ea vero quæ singularia sunt, majoris egent probationis & scrutationis. Quapropter visum, non incassum me laboraturum, si hanc materiam de Obligatione Vasalli erga Con-Vasallum ventilandam susciperem. Ausus sum laborem pro ingenii mei tenuitate, & ea de causa a TE, B. L. contendo, ut benevole accipias atque excipias materiam hanc, si alicubi non æque accommodata ingenio tuo; scias, non omnia omnibus æque placere; nihil enim ex omni parte in mundo perfectum est, nimisque superbe dedignatur mortalitatem, qui peccasse dici non fert. A TE vero, DEUS T. O. M. laboris hujus esto Principium, medium & finis; sic omnia procedent felicissime.

CAP. I.



C A P. I.

DE

DEFINITIONE NOMINALI & REALI.

§. I.

Nihil a proposito alienum nos facturos duximus, si paucis prius, quæ ad thematis nostri meliorem intellectum faciunt, præmiserimus. Commodius enim ad rem ipsam perventuri sumus, si prius generale vocabulorum, ex quibus disputationem nostram formare constituimus, examen instituentes, fontes, ex quibus deducta, perceperimus. Tria vero hac ratione enodanda sunt vocabula, scil. Obligatio, Vasallus & Convassallus. *Ingressus.*

§. II. Et quidem obligatio derivatur a ligando, *Etymologia obligationis.*
h. e. vincire, constringere, binden, verbinden, heften, v. g. vulnera, contrações &c. a quo composita, illigare, alligare, colligare, deligare & obligare, quod significat & devincire, ut beneficio, liberalitate sua aliquem sibi obligare: Nizol. Thesaur. *Ciceron. verb. Obligo.* Aliquando oppignorare est, verschreiben, verpfänden, Sueton. *in Vita Vespas. c. 4. Rediit, inquit, nihilo opulentior, ut qui prope labefactata jam fide, omnia prædia fratri obligaverit. conf. l. 4. l. 6. ff. de Pignor. l. 13. §. 11. ff. locat. l. 45. §. 1. de Leg. 1. l. 57. eod. l. 3. C. de serv. pign. dat. Est & veneficiis devovere, bezaubern. Paul. lib. 5. Recept. Sent. tit. 23. §. 9. Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendave curaverint, aut cruci suffiguntur, aut bestiis objiciuntur.*

B

§. III.

*Ejus' Usus
in jure.*

§. III. In jure quoque hujus vocabuli sæpius mentio fit, & quidem obligare se, est aliquò juris vinculo se obstringere, e. g. obligare se cautione *l. 103. ff. d. leg. 1. Chirographo l. 103. ff. eod.* obligare se damni infecti *L. 5. ff. 1. ut in possess. Legator. nom.* obligare fidem suam *L. 54. ff. d. Fidejuss. L. 2. C. ad Scr. Maced.* Et sic hoc modo obligamur aut Re aut Verbis, aut simul utroque, aut Consensu, aut Lege, aut jure Honorario aut necessitate, aut ex peccato *L. 52. ff. de O. & A.*

*Obligatur
quis physice
& moraliter.*

§. IV. Accipitur itaque hoc verbum tum proprie, tum translative, & hæcenus improprie, sicque aliter quis physice & naturaliter, aliter moraliter & juridice dicitur obligari. Illo modo libertas physica adimitur, hoc vero sive juris vinculo indifferentia moralis & juridica suo modo tollitur. Inter utramque tamen obligationem magna est convenientia. Quemadmodum enim Physica sive facti obligatio adhibetur, partim ut juvet sanationem & levamentum præstet, saltem ut præsidio sit, ne malum in pejus irriteretur & evadat, ut in vulneribus obligandis, partim vero ut obligatos & vinctos adgravent, & ne recedant aut effugiant, sint impedimento & retentaculo; ita obligatio juris non tantum tranquillitatem publicam in societate civili maximopere adjuvat, sed & humanas necessitates in vita communi sublevat *ff. 2. j. d. j. n. g. & Civ.* cum nulla Respubl. sine rerum communicatione esse possit *Rebhan. Hodoger. Jur. Chart. 2. elim. 3. p. 426. 427. Pufendorff. de F. N. & G. lib. 1. c. 1. ff. 21.*

Definitio.

§. V. In sensu itaque morali & juridico Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ Civitatis jura *pr. Instit. de Obligat.* Injicitur enim per eandem fre-

num

num aliquod morale nostræ agendi libertati, ut in diversa, quam quo illa ducit, partem tendere recte non possimus. Et si per eam voluntas haud quidquam ita stringi queat, ut saltem de facto in diversa abire non detur, Pufendorff. *dict. lib. 1. c. 6. §. 5.* Selden. *d. j. n. & g. juxt. discipl. Ebræor. lib. 1. c. 4. p. 46.*

§. VI. Omnium autem obligationum, quæ in *Diviso.* jure communi occurrunt, summa divisio a causa efficiente in duo genera deducitur, namque aut Civiles sunt, aut Prætorix: Civiles sunt quæ aut LL. constitutæ aut certo jure Civili comprobatæ sunt, Prætorix sunt, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit, quæ etiam Honorariæ vocantur *§. 1. Inst. de Obligat. L. 1. §. hæc actio ff. de Exercit. act. L. 8. §. ult. ff. de Acceptilat. l. 6. de I. & L.* sic obligatio, quæ jure feudali inducitur, merito feudalis dicenda erit.

§. VII. Et hæc de Obligatione; nunc ad alterum vocabulum nos conferimus, scil. *Vasalli.* Hujus *Vasalli Etymolog.* vero derivatio non caret dubiis, variantque hic Dd. quam maxime: Aliqui enim hanc vocem, ut deminutivam à *Vasso* deductam volunt, & eam duplici S. exprimunt, scribuntque Vassallus, inter quos est Hotomannus; Vassos autem significare Vassen firmos a verbo Vassen, quod est obligare, vincire; Et sic nominantur Vassi in capitulari Caroli ac Ludovici *lib. 2. art. 9.* Episcopis, Abbatibus, ac *Vassis nostris* & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut comitibus ad justitias adjutores sitis. *Et art. 24.* Vassi quoque ac Vassali nostri nobis famulantes volumus, ut apud omnes habeant honorem, sicut a genitore nostro & a nobis sæpe admonitum est. Et apud *Odonem in vita beati Gerardi:* nec hoc patiebatur, ut quilibet senior beneficium a suo

suo Vasso pro qualibet animi commotione posset auferre. Fredericus a Sande in *Tr. Prælimin. in Consuetud. Feud. Gelriæ c. 1. n. 19.* Alii eandem a Vadibus derivant, quod Vasallus domino suo fidelitatem jurans non minus arcte sit obstrictus, ac si vades ei dedisset; alii inter quos est Cujacius, Vultejus, a Germanico Geselle, sed nimis remote *Johan. Calvin. Jurisprud. Feud. lib. 1. in proam. p. 3.* vid. *Struv. Syntagm. J. Feud. cap. 5. aph. 12.* Vassum vero Germanorum hunc dicunt esse, qui Cæsari in Commentariis suis dicitur *devotus*, indeque apud Turcas esse appellationem Bassarum volunt. *Hottomannus in disp. Feud. in verb. Vasallus. Rittershus. part. feud. lib. 1. c. 1. q. 4.* *Tholosan. in Syntagm. juris lib. 6. c. 11. n. 7.*

Etymologia
probata.

§. VIII. Et hanc derivationem a Bassen probabiliorem & veriore fatemur, *Glyphiand. d. Weichbild. Saxon. c. 49. n. 11.* *Heigius lib. 1. qu. 2. n. 78.* Et sic Vasallus significat prorsus obligatum scil. beneficio feudi. *Bechmann. in Usu pract. Feud. Ex. 1. n. 34.* Remansitque inde hodie appellatio: *Denen Besten und lieben Getreuen*, quæ Nobilibus Vasallis in Germania cum primis tribuitur, qui titulus Best significat firmum & constantem, qui *strenuus* alias dicitur. *Wehner. Observ. Pract. lit. V. b. v. Speidel. Specul. lit. V. n. 88.*

Lehnmann.

§. IX. Germanice dicitur Basall, Lehnmann, a Feudo Lehn, ejusque collatione, a verbo leihen, quo significamus concessionem rei ad usum aliquem *Gothofred. Antonius disp. Feud. 1. th. 2.* *Schottelius de Lingua German. lib. 2. c. 12. n. 204.* it. *Mann simpliciter, conf. Recess. Provinc. March. de Anno 1540. §. wir wollen auch ibi: mit Naht der Prälaten, Herrn, Mann, und Städte, cum olim non nisi is, qui bello idonei; suscipere licuit feuda Eyben. in Elect. Feud. cap. 2. §. 5.* Et inde dicuntur
Mann-

Mannbücher, i. e. Lehnbücher, Besold. *Theaur. pr. lit. M. num. 13.* & iudicium feudale, quod ex paribus Curia, Mann-Richter, constat, ac ob causam feudalem constituitur, Mann-oder Lehen-Gerichte.

§. X. Inde omnino liquet, ut Latini *Vasallo* correlatum non foemina est, sed Senior, Dominus, ita Germ. Mann correlatum non esse Frau, sed Lehenherr, adeoque vocabulum Mann hic non sexus & conditionis naturalis, sed vinculi Vasallitici & conditionis Civilis in foeminas aequae ac masculos competentis significativum esse. Et ex hoc colligendum & observandum est, etiam si v. gr. in tabb. investiturae eines Mann-Lehen mentio fiat, non necesse esse, nisi alia aliud suadeant, de feudo masculino hoc accipi. Quantum enim ad vim ipsius vocis Mann-Lehen, ea qualitas sexus non magis, quam dictionibus Mann vel Lehenmann, vermannen, necessario inferitur, & haec non improbanda Feudistarum, quamvis numero pauciorum doctrina, in feudo dato zu rechten Mannlehen, zu rechter Mannschafft foeminas quoque suo ordine & loco succedere. conf. Goed. vol. 4. *Consil. Marp. 37. n. 747. 835. 883. & seqq.* Klock. *Relat. Camer. 26. n. 118. sequ. n. 148. seq.* Frederic. a Sande *ad Consuetud. Gelr. & Zurpban. special. tit. 3. c. 1. §. 7. n. 64.* Excipimus tamen hic locorum usum & consuetudinem contrariam, si enim haec hanc acceptionem & interpretationem vocis Mann-Lehen, Mannschafft non aliter, quam de feudis masculinis admittat, ibi utique latior illa interpretatio nemini obtrudenda, sed in usu acquiescendum erit, quod & leges admonent, l. 52. §. 4. ff. de Leg. 3. l. 7. ff. de Supell. leg. Dn. Eyben. *Elect. Feud. cap. 9. §. 4. & 5.* Nam quatenus Germanicum Mannlehen, a qualitate sexus, männlichen Geschlechts,

Vox. Mann
includit fo-
eminas in
matéria feu-
dali.

schlechts, deducitur foeminino, Weiberlehen, opponitur; sed si arcessimus vocabuli originem a qualitate Vasallitica, Leh- oder Mannschaft, æque generale est ac ipsum feudi nomen, & allodio, non foeminino, aut alii feudorum speciei opponitur. Idem *dict. cap. §. 23.*

*Etymon Con-
Vasalli.*

*Convassallus
quis.*

Pares.

*Pares Fran-
cia.*

§. XI. Hisce præmissis facile constabit, unde tertium vocabulum thematis nostri scilicet CONVASALLUS descendat; nimirum a præpositione CON, voc. VASALLUS: adhibeturque dictio *Con* loco *Cum, Et*, vel ad necessitatem vel elegantiam vel in copulativam Conjunctionem resolvitur, designando Comitem, personam vel rem vel actionis modum Martin. *Lexic. Philolog. voc. Con.* Sicque Convassallus est, qui cum aliis ab eodem domino feudum recognoscit, & ejusdem est Curia *1. F. 26. pr. vers. testes vero. Vultej. lib. 1. c. 7. n. 26.* Inde etiam Convassalli *Pares Curia* appellantur *2. Feud. 2. pr. 2, 20, 2, 33. pr. 2, 55. Et passim. Curtis 2. F. 46. 1. F. 2. 1, 3. 1, 4, pr. de domo, 1. F. 26. domus 2. F. 16. pr.* & sæpissime sine adjecto, absolute *Pares*; non respectu Domini, quod illi *pares* sint, sed *Vassallorum*, nec tamen id etiam simpliciter, quasi æqualis conditionis dignitatisve eos esse oporteat; sed secundum quid, quod a Domino æquali jure feuda in eadem curia teneant, Obrecht. *de Feud. l. 2. c. 8. n. 153. Et lib. 4. c. 10. n. 67. Et seq.* velut Budæus in *Nor. prior. ad Pandect.* quod sint velut sodales ejusdem collegii, parique jure utentes, quomodo municipes, populares, tribules dicuntur. Schrad. *Vol. 1. Consil. 15. n. 2.* Ludwel. *in Syn. I. feud. p. 92.* Germanice ita possent describi: die gleiches Recht haben, und mit gleicher Treue einem Lehens Herrn verbunden.

§. XII. In Gallia dignitatis prærogativam infert appel.

appellatio *Pair*, vocanturque *Pairs de France*, *Pares Franciæ*, non quod Regi, sed quod inter se *Pares* sint autoritate & dignitate; suntque officarii & Proceres simul, non solum quoad titulum, sed etiam quoad naturam dignitatis. Titulum quod attinet, notorium est, quod ultra eum, quo *Pares* audiunt, qui est titulus officii, habeant etiam titulum Ducis vel Comitis, qui sunt tituli Satrapiarum, cum non detur ullus *Pariatus*, qui non sit vel *Ducatus*, vel *Comitatus*. Quantum vero concernit naturam, tanquam *Satrapæ* (*Seigneurs*) Regi præstant homagium ac jurant Parlamento tanquam officarii. Et hoc illis peculiare est inter omnes officarios hereditarios, tam feudales, quam domaniales, quod ipsorum functio non possit exerceri per delegatum (*par Commis*,) Conductorem aut etiam personam tertiam, sed ab ipsismet *Paribus*, propter excellentiam & momentum muneris scil. quod consistit in voto dicendo in Parlamento. *Patricios* illos appellavit *Budæus in l. ult. ff. de Senator.* quasi patres communis *Reipubl.* & quod cum Regibus pro *Republica* consilia capiant. *Bodin. de Republ. lib. 3. c. 1.* Olim numerus duodenarius fuit observatus, postea hoc sublato in pluralem excrevit, ut tot *Pares* fuerint, sintque hodie, quot esse *Rex* voluerit, velitve. *Conf. pluribus Limn. Notit. Franc. lib. 2. c. 25.*

§. XIII. Sed missis hæc ad ipsam definitionem realem Obligationis scil. Vasalli erga Convasallum nos convertimus, eamque definimus, quod sit vinculum juris feudalis, quo necessitate Vasallus Convasallo adstringitur ad præstandum id, quod de jure feudali debet. Definitio realis.

DE CAUSA EFFICIENTE.

§. I.

Progressus.

Specialiora thematis nostri jura tradere dum stude-
mus, ante omnia in obligationis hujus originem
& causam efficientem inquirendum erit. Habet ve-
ro eadem hoc modo cum alia quacunque obligatio-
ne quædam communia, quædam propria.

*Obligationis
hujus.**Communia
ratione cau-
sæ efficientis.
Conventio
partium.*

§. II. Communia dicimus ea, quæ ad cujuslibet
obligationis constitutionem desiderantur, uti est pari-
tium conventio, quæ desiderat consensum *l. 1. §. 3. de
Pact.* qui duo habet principia; intellectum & volun-
tatem, scil. ut idem intelligant, ac idem velint contra-
hentes. Hinc ante omnia usus rationis requiritur
voluntatisque libertas, quibus sublatis obligatio, vel
plane non nascitur, vel non cum effectu *z. r. ff. quod met.
c. & d. dol. m. §. 8. j. d. Inutil. Stipulat.*

*Juris Auto-
ritas.*

§. III. Conventio itaque causa est omnis obliga-
tionis, qua interveniente vinculum illud juris consti-
tuitur, ita, ut amplius non sit in arbitrio nostro eligere
l. 5. C. de O. & A. nisi jure improbetur conventio vel al-
liud sit constitutum. Juris enim autoritas conven-
tionibus accedat, necesse est, alias effectu suo destitu-
untur; illa enim causa est contractuum, de qua agitur
in l. 7. §. 2. ff. de Pact. quia illa conventionem quasi vivi-
ficat & imprægnat ad pariendam obligationem civi-
lem & actionem, quæ alioquin sterilis & inefficax per-
maneret, *Pac. lib. 2. ad Cod. lit. b. n. 24. Franzk. ad ff. de
Pact. n. 9.* Hinc etiam in genere Imperator noster in
pr. Inst. de Obligat. obligationem per juris vinculum de-
finire voluit. Sicque conventio est causa proxima obliga-

obligationis, jus vero remota Mejer. in Colleg. Argentorat. tit. de Obligat. & act. th. 3. n. 3. illiusque ratione aut ex contractu, aut ex quasi contractu aut ex maleficio aut ex quasi maleficio est. *ff. ult. Inst. de Obligat. l. 1. pr. & ff. 5. seqq. de O. & A. Struv. Exercit. 46. th. 56.*

§. IV. In obligatione nostra ratione causæ efficientis Propria dicimus esse ipsum contractum feudalem jurisque feudalis auctoritatem. Est vero contractus feudalis, quo Domino usumfructum seu utile rei dominium promittenti & solenni actu assignanti quis se obligat ad præstandam fidem. Quibus utrinque præstitis statim nascitur obligatio, licet actualis datio vel factum non accesserit; adeoque Dominus promissa fide, licet actu ipso illa nondum exhibita fuerit, tenetur tradere, nec potest pœnitere, *2. F. 26. ff. si facta*, nominatus enim est contractus, qui statim, postquam consensus partium de re tradenda & ratione illius fide præstanda intervenit, perfectus est. *Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 8. apb. 4. Schrader. p. 2. c. 2. n. 1.* consummatur vero per realem traditionem, quæ fit vel vere per realem inductionem in feudum, vel ficte per patientiam v.g. si rem aliquam habeat Vasallus, Dominusque velit, ut is jure feudi rem possideat, *arg. ff. 44. de R. D. l. 9. ff. 1. de Public. in rem act. l. 62. pr. de Evict.* Magnif. Dn. Stryk. in Exam. Jur. Feud. cap. 13. qu. 18. *Struv. cap. 8. a. 11.* Illustre hujus exemplum habemus in *Instr. Pac. Monast. art. 10. & art. 15. ff. 2.* ubi Regno Sueciæ & Hasso-Casselanis de rebus bello occupatis investitura concessa, possessio vero, cum eam jam habuerint, non tradita fuit. *Illustr. Dn. Rhetius ad ff. Feud. lib. 1. r. 4. p. 195. n. 4.*

§. V. Duos etenim actus contractus feudalis continet, quorum unus est perfectionis, alter consummationis

Propria
Contractus
feudalis.

Quis effectus

Contractus
est nomina-
tus.

Duo notan-
di actus in

C

tionis

Contractu
feudali.

tionis contractus. Ille conventionem Domini & Vassalli de re in feudum danda & fide præstanda absolvitur; hic ipsius rei traditione, vel patientia domini, quæ loco traditionis est v. g. si patiatur, Vassallum ingredi possessionem & rem occupare. Ex Actu perfectionis, qui in terminis promissionis subsistit, & ubi actus aliquis investituræ nondum accessit, nihil dum juris habet in re ipsa, atque adeo nondum est, neque etiam dicitur Vassallus; Sed spem duntaxat juris consequendi, sive jus ad rem, Vultej. *de Feud. lib. 1. c. 10. n. 7.* Et licet accesserit abusiva sive ut a Dd. nonnunquam vocatur, Bitsch. *p. 222.* verbalis investitura, quæ fit mediante symbolo aliquo, jus tamen in re sive ipsum jus feudi non habet, secundum communem Dd. sententiam Rosenthal. *de Feud. c. 6. conclus. 6. n. 7.* Struv. *S. 7. F. c. 8. a. g.* Cum enim in jure Feudali specialiter non sit dispositum absque traditione dominium utile sive jus feudi transire, observanda erit juris Civilis regula, quod sine traditione vel eo, quod loco traditionis veræ est, dominium aliudve jus in re in alterum non transferatur, *l. 20. C. de Pact. l. 3. de O. & A. l. pen. C. de R. V.* Investituram autem abusivam traditionem esse, aut hujus loco haberi, nullibi in jure feudali legitur, sed potius contrarium *2. F. 2. pr. 2. F. 1. §. 1. 2. F. 26. §. si facta*, ubi disertè investitura a traditione discernitur: manemus itaque in regula, quæ habetur *2. F. 1. pr. Strenuus jurisperitus, sicubi casus emerferit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia uti poterit lege scripta*: prout etiam vice versa ad decisiones causarum civilium jure feudali uti licet, ubi deficit dispositio & ratio juris civilis; si enim in libris feudalibus bona occurrit ratio, tum ea, non ut consuetudo feudalis, quæ alias strictam habet inter-

interpretationem, sed ut ratio aliqua communis, & in aliis etiam causis valitura seu tanquam ipsa justitia naturalis judicem movere debet. *arg. l. 2. §. 5. ibi: hæc æquitas suggeret ff. de Aqua & Aqu. pl. arc. l. 32. ff. ad L. Aquil. Finckelhaus. controvers. feud. disp. 1. th. 9. Schrader. p. 1. qu. 3. n. 3.*

§. VI. In hoc tamen differt investitura abusiva a simplici feudi promissione, quod dominus magis confirmet investitura abusiva obligationem suam & quasi cedat verbis alteri dominium utile, eumque recipiat vasallum: Nuda tamen voluntate domini & ex sola, verbis quæ fit, cessione nec possessionem, nec dominium utile Vasallus, sed solam potestatem apprehendendi potest acquirere, adeo, ut ne tum quidem possessio translata intelligatur, cum investiens dixit, se vasallo possessionem tradere. *Bald. in c. 1. 2. F. 2. Borcholt. de Feud. c. 7. n. 7. eo quod dominii transferendi sui sint modi, nec possessio, nisi corporali apprehensione acquiratur, Vult. d. lib. 1. c. 10. n. 10. nisi dominus in re præsentis constitutus investituram abusivam peragat, & rem simul tradat; arg. l. 1. §. pen. l. 18. §. 2. l. 51. de Acquir. Poss. Bitsch. ad pr. 2. F. 2. p. 223. vel cum clausula constituti possessorii fiat investitura, Illust. Dn. Rhetius ad 2. F. 3. n. 5. p. 163. Schrader. p. 5. c. 2. n. 15. vel dominus solenni ritu celebrans investituram jubeat Vasallum vadere in possessionem feudi, & ille secundum voluntatem domini expressam possessionem apprehendat. c. 2. F. 33. pr. Verum tunc non per solam investituram abusivam sed junctam traditionem atque ita per plenum actum investituræ sive propriam feudum constituitur, & acquiratur. d. 2. F. 30. Struv. cit. loc. n. 2. & 3.*

Utilitas abusiva investituræ,

§. VII. Hoc tamen commodum, uti jam innuimus, *Apprehensio*

C 2

ex

possessio-
nis
ex investitu-
ra abusiva.

ex hac investitura abusiva consequitur, (1) ut rem per
eam concessam propria autoritate apprehendere pos-
sit, Magnif. Dn. Stryk. in *Exam. Jur. Feud. cap. 12. qu. 35.*
Alvarott. *ad c. 1. 2. F. 2. n. 7.* Sonsbec. *de Feud. p. 9. n. 30.* Clar.
in *f. feudum qu. 26. n. 1.* Schneidw. *de Feud. p. 4. n. 13.* Schra-
der. *p. 5. c. 2. n. 16.* Wefenbec. *de Feud. c. 8. n. 15. vers. abusiva*
& n. 30. & ita communiter notare omnes in *d. c. 1.* refert
Borcholt. *c. 7. n. 10.* scil. si nullus alius sit in possessione,
quam investiens, Rosenthal. *concl. 6. c. 11. n. 6.* Modest. Piff.
qu. 9. Coler. *decif. 93.* si tamen & hic resistat, nec admitte-
re velit investitum, sibi ipsi jus dicere non debet, sed su-
prioris implorare officium, sicque publica autoritate
possessionem rei apprehendere, arg. *l. 3. C. de Pignor.*
Prædo enim dicitur, qui proprio usu occupat, *l. 5. l. 33.*
de Acquir. Poss. l. 9. C. Solut. Matrimon. quanquam in gene-
re etiam tutius esse consulat Fichard. *vol. 1. consil. 6. n. 4.*
ut per libellum supplicem magistratus ea de re implo-
ret officium (2) abusive investitus cogere potest Domi-
num, si forte pœnitentia ductus Vasallum in possessio-
nem admittere nolit, ad rem omnimodo & præcise tra-
dendam, utcunque dominus id, quod Vasalli interest,
præstare paratus sit, 2. *F. 26. ff. si facta,* cum e contrario
mere verbalis sive nuda promissio nihil præter simpli-
cem obligationem & actionem adversus dominum pari-
at ad investituram faciendam, vel id, quod interest,
præstandum. Mynsing. *cent. 4. obs. 61.* Obrecht. *lib. 2. jur.*
feud. c. 4. & lib. 4. c. ult. n. 3. & seqq. Quod juri communi
etiam conforme est, ubi in obligationibus faciendi quis
liberatur præstatione interesse *l. 13. in fin. de re judic.*
Vult. *disf. cap. 10. n. 8.*

(2) Coactio
Domini.

Ratio coa-
ctionis.

§. VIII. Cogitur vero Dominus, quia per promis-
sionem necessitate se astringit arg. *l. 8. ff. d. O. & A.* & qui-
dem

dem cogendus est actione personali ex contractu feudali fluente *arg. §. 1. Inst. de Act. utrem tradat & simul id, quod interest, præstet, 2. F. 7. §. fin. 26. §. si factum.* Agere etiam potest Vasallus ex interdicto adipiscendæ possessionis, cum enim Dominus per investituram abusivam, uti in §. præcedenti dictum, licentiam concedat Vasallo possessionem apprehendendi, poterit utique officium judicis implorare, ut in possessionem mitratur, quæ ratio in aliis contractibus cessat. *l. 5. de Acquir. Poss. Sruv. c. 8. aph. 10. n. 5.* Et hinc remedio possessorio magis consultum est Vasallo, quam actione ex contractu, cum a sententia lata appellari non possit. *l. un. ibique gl. & Dd. C. si de moment. possess. appellat. fuer.* Nec hoc interdictum tantum datur contra Dominum Feudi, vel ejus hæredes, sed etiam contra quemlibet alium non justum possessorem; nec agenti hoc interdicto dominii vel alia exceptio altiorum indaginem requirens objici potest, Schrader. & Dd. allegati *p. 5. c. n. 26. & 27.* Contra tertium etiam ipse Dominus, quantum in ipso est, traditionem promovere tenetur, & ita si ipsius, h. e. Domini jurisdictio est, Vasallum interdicti, ne vis fiat ei &c. tuebitur. Illustris Dn. Rhetius *ad §. F. p. 195. n. 6.*

Remedia.

§. IX. Omnium optime itaque cum Vasallo agitur, si actus consummationis contractus perfectionem subsequatur, rei que feudalis possessio revera & actualiter per traditionem in Vasallum conferatur, sicque proprie fiat investitura. Dn. Stryk. *civ. c. 12. qu. 5.* Sic enim jus in re consequitur & ex possessionis apprehensione proprie investitus dicitur *2. F. 2. pr.* Locorum tamen consuetudines hoc in casu etiam observandæ sunt, quæ dominii refutationem aut resignationem desiderant: daß die Lehen aufgelassen werde, si Vasallus feudum

Traditionis
rei feudalis
effectus.

dum alteri vendat & tradat, jus enim feudi & possessio rei in multis locis translata non censetur, antequam prior Vasallus jus suum Domino refutaverit aut resignaverit Carpz. *lib. 5. resp. 40.* Hartm. Pistor. *Obs. 230.*

Contractus
feudalis
bonæ fidei
est.

§. X. Cœterum de natura contractus Feudalis disquiri solet; ane sit bonæ fidei vel stricti juris? Distinctio illa contractuum in Jure Civili sat celebris & ratione utilitatis in ipso etiam actionum genere commendatissima est, oriturque ex ipsorum contractuum natura & qualitate: quatenus enim alii sunt ultro citroque obligatorii, seu mutuas habent præstationes, quas Græci *συναλλογήματα* vocant, *l. 19. de V.S.* & alter in alterum ex eodem negotio actionem habet, e re utriusque est, ut fides ex utriusque parte in illo negotio dominetur, neque tam quid lingua nuncupatum fuerit, quam quid æqui bonique ratio ab utroque postulet, spectetur. Hotom. *ad ff. 28. Inst. de act.* non saltem propter justam rei cum re vel opera vel officio simili commutationem, quæ æqualitatem exactam desiderat, verum & propter utriusque commune, quoad contrahendum profiliunt, votum. E contrario in unilateralibus contractibus omnia aliter se habent, quia cum in hisce unus solus obliget, alter solus obligetur, nulla æquitas peculiaris subest, quæ suadeat exigendi a debitore quicquam, de quibus nec verbis cautum, nec ex natura negotii actum esse apparet, non saltem quod obligans, cum solus sit, satis otii ac facultatis habuerit ad cautionem affabre arbitrio suo concipiendam, uti Hotoman. putet *d. l. arg. 199. de V.O.* Verum etiam, quod ille nihil vicissim obligato præstet, ratione cujus possit videri ejus conditio durior facta esse, si secundum verba conventionis cum ipso agatur. Bona itaque fides hic est, quæ

quæ non dictis vel factis contrahentium adhæret, sed quasi per se, ac velut in idea consistens; sicque nihil aliud est, quam interpretatio utilis aut benigna actuum conventionumque humanarum non verbis adhærens, sed ex æquo & bono, quid verisimiliter actum fuerit, expendens, hocque modo in *l. 31. deposit.* dicitur *bonam fidem, quæ in contractibus* (puta b. f. qualis est depositum, de quo ibidem agitur) *exigitur, summam æquitatem desiderare.* Vel potius, ut eleganter Hilliger *disp. de Bona Fide* *rb. 97.* quæ in legibus explanandis æquitas, ea in contractibus bona fides. Est æquitas legum ipsarum quasi bona fides. Est bona fides quædam dictorum factorumque nostrorum æquitas. Franzk *Exerc. 13. qu. 6. 7.* E contrario cum in unilateralibus contractibus conventionum terminis stricte sit inhærendum nec hoc temperamentum admittant, stricti dicuntur juris. Hæc si jam applicemus ad contractum feudalem, cum in eo præstationes mutuas observare liceat *2. F. 6.* eundem, invitis licet plurimis Dd. bonæ fidei esse, dicimus. Atque hinc Dominus propter moram in tradendo commissam ad omnem utilitatem, sive ad omne id, quod interest, rem debito tempore non esse traditam, præstandum Vasallo obligatus est. *2. F. 7. in fin. junct. l. 38. §. 7.* & *15. de Usur. Struv. c. 8. aph. 4. n. 4.*

C A P. III.

DE

CAUSA MATERIALI ET FORMALI.

§. I.

Materialem causam, sive res, circa quas versatur obligatio hæc nostra, pluribus deducere, non va-
cat, sed generaliter in eo absolvimus, dum dicimus, esse
Causa mate-
rialis genera-
liter & re-
ipfas

missive transatur.

causas feudum respicientes, in quibus operam suam Vasallus Convassallo debet, & has ipsas *in subsequenti cap. cum effectibus conjungemus.*

Causa formalis.

§. II. Ad formalem igitur nos conferimus, hancque constitui dicimus nexu illo feudali, quo plures Vasalli uni Domino pari fidelitate, licet diverso sæpius modo, junguntur, ipsique consequenter inter se etiam uniuntur, adeo, ut eo ipso, dum quis a Domino feudum acquirit, vel ejus intuitu fidelitatem promittit, & prævia hac feudali obligatione, autoritate juris ad quid faciendum vel præstandum obligetur.

An diversitas territorii obstat Convassallis & Paribus.

§. III. Circa formam vero convassallagii illud in quæstione est; an ad hoc, ut Convassalli dicantur & Pares curiæ necesse sit, ut in eodem territorio Vasalli feuda habeant? In diversas hic abeunt partes interpretes, alii in genere asserunt, territorii diversitatem quoad feuda non attendi, quatenus omnia feuda ejusdem Domini ubicunque sita eandem curiam & eundem Dominum, qui curiam tenet, recognoscunt; sicque Pares curiæ seu curtis in genere dicuntur, qui eandem curtem, curiam seu aulam Domini h. e. eundem Dominum recognoscunt. Struv. *c. 4. apb. 18. n. 7.* Alii contrarium eligunt, confugientes ad Feudorum divisionem, qua alia dicuntur feuda in curte & extra curtem, illaque dicunt esse, quæ sunt intra territorium Domini feudi, hæc seu extra curtem, quæ sunt extra ejus territorium, Bocer. *Differ. Feud. c. 4. n. 43.* sicque volunt esse pares curiæ, qui ab eodem Domino in eodem eius territorio feuda possident, idem *n. 52.* nec Convassallis, qui in diversis ejusdem Domini territoriis feuda habent, nomen Parium competere, e. g. Vasalli quorum alii in curia Prussica, alii Clivenfi vel Marchica feuda recognoscunt ab

AUGU-

AUGUSTO ELECTORE BRANDENBURGICO,
pares curiæ non esse ob curiarum diversitatem We-
senbec. de Feud. c. 17. n. 3. Henning. Göd. Conf. feud. 22. de
Simult. Invest. n. 7.

§. IV. In hac quæstione omnem difficultatem
peperisse videtur vocabulum *Curtis* s. ult. 1. F. 5. quod a-
lii de territorio accipiunt; alii de aula Domini, & hoc
modo cum curia unum idemque esse curtam, alii curi-
am & curtem distingui asserunt in pr. c. un. 2. F. 51. quod
(1) ibi habetur vox *quadam*. Si enim *curtis* significat
aulam sive palatium, tunc Dominus alias plures debu-
isset habere aulas, alias vox quædam esset frustranea.
(2) Si ibi *curtis* denotat curiam, tunc ibi Capitaneus
vendidisset totam aulam suam, & nihil retinisset, cum
tamen aula non legatur divisa. (3) Huc facit c. un. s. 5.
1. F. 4. Si enim *curtis* significat aulam, cur dixisset Feu-
dista bina vine in ipsa curte & subjocisset, sed si Dominus
in ipsa curte nil sibi retinisset, magis generaliter dixis-
set: in curte sua; Bechm. ad 7. F. Exerc. 1. p. 20.

Ratio diffi-
cultatis in
hac quæst.

§. V. Verum hæc tanta esse non credimus, ut nos
terrere possint ab amplexu contrariæ sententiæ, qua
adstruitur vocis *curtis* & curiæ non vero territorii sy-
nonymia, hancque confirmat autoritas *Voffii*, viri in
politiori literatura versatissimi, qui lib. 3. de Vir. Serm. c. 7.
p. 402. voc. *Curtisanus*, explicat curtem, per locum illum
conclusum ante sub dio ante ædes virorum Principum;
sicque coincidit cum curia, regia, aula, quod pluribus
antiquorum monumentis probat Carol. du Fresne in
glossar. voc. curtis. Ipsique Itali quibus multarum vocum
feudalium originem debemus, aulam vel curiam Prin-
cipis *Corte* appellant, cui Galliorum *Court* vel *Cour* con-
sonat; inde & aulicus, *Cortegiano* Italis & *Courtisan* Gal-
lis dicitur.

Sententia
nostra.

D

§. VI

*Feudum in
curte & ex-
tra curtem,*

§. VI. Ipsa denique Juris feudalis autoritas accedit & pares curtiæ dicuntur. 2. F. 2. 1. F. 2. §. 1. qui alias pares curtiæ appellantur. 1. F. 10. §. 6. Hinc in genere dicimus feudum in curte esse, quod in re ad ipsam curiam Domini pertinentem constituitur, vel quando Vasallus habet jus percipiendi utilitatem ex re, quæ permanet in curte seu curia ac possessione Domini. Talia sunt feuda cameræ, de cavena, cancellarius &c. quæ in curte vel curia Domini præstantur, *Feudum vero extra curtem* quod in re est, quæ est extra curiam Domini seu ad curiam Domini non pertinet; vel quando Vasallus habet jus percipiendi utilitatem ex re, eaque possessio ad ipsum scil. Vasallum translata est. Struv. c. 4. *aph. 18. n. 5. & sequ.* Bechman. *civ. loc. n. 3.*

*Decisio quæ-
tionis.*

§. VII. Tandem ut decisionem quætionis adjiciamus, dicimus in genere, quod inter Convasallos & pares nulla sit differentia, neque requiri, ut pares in eodem territorio habeant feudum; Struv. c. 4. *aph. 18. n. 7.* ubicunque enim feuda ab uno Domino pluribus collata sita sunt, ad curiam referuntur Domini concedentis; & sic etiam omnes eundem habent superiorem, & inter se comparati respectu superioris pares, dicti etiam sunt Compares Carol. du Fresne glossar. *voc. compares p. 1130.* Hoc tamen facile concedimus, quod in specie in dirimendis feudalibus controversiis illi convasalli dicantur pares curtiæ, qui eidem judicio feudali subjiciuntur, simulque causas dijudicant Convasallorum, in eodem territorio feuda possidentes. Nam vocabulum *Curia* etiam locum judicii denotare, ex *pr. 2. F. 1. ibi: diversorum locorum vel curiam mores:* addiscere licet, experientiaque comprobatur, quatenus mores curiarum feudalium pro diversitate territoriorum maxime

me variant; adeoque Vasalli Prussiæ, Cliviæ, Pomeraniæ, Neomarchiæ &c. hac ratione quat. specialia agnoscunt judicia feudalia Pares Curia non sunt, licet in genere ratione summi feudalis judicii, quod penes Serenissimum est, sint tales, Conf. Dn. Rhet. ad 7. Feud. p. 152. n. 3. 4. & 5. Zasius part. 11. de Controvers. Feudalib. n. 23. ubi de Vasallis Archiducum Austriae hoc simili modo applicat & addit; *sæpenumero in Germania nostra pro feudali- bus controversiis decidendis Vasallos, licet extra curiam vel villæ vel territorii sint, per Dominos vocari dimissis aliis, qui recte vocandi fuissent.* Et possunt ad hoc applicari ea, quæ per Baldum & Alvarottum traduntur in c. 1. §. pen. de Prohib. feud. alienat. dum quærunt, an pares de eadem provincia esse debeant?

§. VIII. In Principibus Imperii noviter creatis hoc singulare est, quod licet habeant bona in Imperio, si tamen non sunt immediata, & Principibus Imperii digna ad votum & sessionem in Comitibus non admittantur. *R. I. de An. 1654. §. 197. ibi: und dieses beneficium Sessionis & Voti auf dero Erben und successoren nicht extendiret werden solle, sie haben sich denn vörhero mit ohnmitelbaren Fürstmäßigen Reichsgütern versehen; und solle fort- hin ohne vorgehende Real-Erfüllung aller nothdürfftigen und bestimbten requisiten und insonderheit erstgemeldter Begüte- rung, und ohne der Churfürsten und Stände Vorwissen und Consens keiner zur Session und Stimm in Fürstenrath zuge- lassen werden.* Quod ad principalis dignitatis conserva- tionem & eminentiam maxime facit, Burgoldenf. ad Instr. Pac. Osnabr. p. 1. disc. 20. in fin. Gastel. de Stat. Europ. c. 25. n. 17. 18.

*Singularis
Principum
Imperii qua-
litas ratione
honorum.*

CAP. IV.
DE EFFECTU.

§. I.

Obligatio
Vasalli erga
Convassal-
lum est con-
sequentia ex
contractu
feudali.

Quemadmodum in civium assumptione fieri solet, ubi assumpti non solum Superiori, sed & concivibus suis, licet inter ipsos expresse de eo nihil actum, obligantur, & quidem hisce imprimis quoad onera communia sublevanda, adeo, ut paucos sæpius universitatis nomine eadem præstare oporteat, dum potentiores opibus suis inopes sublevare tenentur; Die Unvermögende übertragen, vel pauci in sedibus suis commorantes a fugientium quotam hosti avertendi incendiï gratia, Brandschagung, solvere coguntur, vel quorundam ædes incendiï vel fortalitiï causa diruuntur, quo in casu lex Rhodia de jactu locum habet Brunner. *qu. Wes. fin. ad L. Rhod. de Fact. Hahn. ad eund. tit. Mev. ad J. Lubec. tit. 2. art. 2. n. 72. & seq. Klock. de Contrib. c. 17. n. 286. & seq.* Ita etiam nexus feudalis, quo Vasallus Domino suo obligatur, ipsos Convassallos eatenus afficit, ut sibi invicem ad quid præstandum, juris autoritate accedente, obligentur.

Casus Obligati-
onis.

§. II. Et hoc nomine dantur certi casus, in quibus Vasallus Convassallo assistere tenetur, qui tum sunt judiciales, tum extrajudiciales. Ad extrajudiciales referimus actum investituræ, de qua notum, quod inter alias solennitates testes saltem duo 2. F. 58. ff. quod autem. adhibendi sunt, & quidem si ab illo fiat, qui alios habet Vasallos coram duobus ex illis Vasallis, qui pares Curiaë solent dici, fieri debet. 2. F. 2. pr. 58. ff. quod autem. adeo ut possint cogi & citari a Domino ad testandum, arg. 2. F. 2. pr. vers. si enim. & si peregre absint, exspectandi sunt, 2. F. 23. Modo non aliud subsit impedimentum, vel non longius

gius absint 1. *F. 26.* Sicque distingue: inter absentiam non adeo remotam & remotissimam, Dn. Stryk. *c. 12. qu. 12.* hoc enim casu & extranei adhiberi possunt *dist. 1. F. 26.* Hoc tamen quod de Convasallis hic dicitur, ad investituram feudi novi restringendum, in investitura enim de veteri feudo sive renovatione investituræ nihil interest, an pares curiæ an extranei adhibeantur testes, *d. 2. F. 32. in fin.*

§. III. Cur vero Curia Pares in testimonium investituræ novi feudi adhibendi sint, ejus ratio redditur in *2. F. 58. item feudum verb. idcirco pares* quia sc. in hos minor, quam in extraneos fallendi suspicio cadit, obque religionem præstiti juramenti & nexum, qui ipsis cum Domino intercedit, magis idonei videntur esse testes. Et sic communiter adhuc hodie Vasalli ad recipiendam investituram, ut cum duobus vel tribus Paribus, statodie compareant, citari solent. Dn. Rhetius *ad F. F. p. 251. n. 4.* eorumque nomina postea in literis investiturarum exprimi hac communiter formula: dabey seynd gewesen die Beste und Hochgelahrte unsere Râthe und liebe Getreue N. N. und andere mehr der unsern gnugsam glaubwürdige. Struv. *c. 8. aph. 6. n. 4.* Conf. Generos. Dn. aSackendorf. in *Teutschen Fürsten-Staat p. 3. Regal. 4. p. 397. & seq.* Quamvis moribus plerarumque curiarum feudalium ad investituræ probationem non amplius præcise parium vel aliorum testium præsentia vel subscriptio desideretur ex *Hartm. Pistor. Ludwel. in Synops. Feud. c. 8. p. 51.* Sed sufficiant investiturarum literæ solæ Domini vel ejus nomine Cancellariæ Prætorum incorrupta subscriptione & sigillo munitæ. Dn. Rhetius *ad F. F. p. 154. n. 3.*

Ratio hujus testimonii,

§. IV. In actibus judicialibus Vasallus Convasallo in primis obligatur, si sc. lis sit inter Dominum & Con-

Actus judiciales.

vassallum de feudo, sive quæ feudum respicit, *l. F. 10.* sive lis sit de investitura aut ejus intellectu, quid vigore illius sibi invicem debeant vel non, *arg. 2. F. 2.* ibique *Andr. de Isernia Schenck Baro a Tautenberg. n. 9. de Controv. ap. par. term. Hartm. tit. de Feud. obs. 21.* Sive agat Dominus ad editionem instrumenti investituræ, sive ut Vassallus catalogum bonorum exhibeat, eorum fines & terminos demonstrat, ad recognitionem compellatur, sive Vassallus Feudum esse proprium neget, v. g. francum, & a servitiis immune asserendo, pactum, privilegium, certam servitiorum & conditionatam qualitatem alleget &c. in summa: quodcumque & qualitercunque est inter Dominum & Vassallum respectu rei feudalis controversia, Pares de illa cognoscunt.

Cur causæ feudales in multis locis coram iudice non feudali decidantur.

§. V. Sed unde illud, quod in plerisque Imperii Germaniæ principum territoriis causas feudales in foro contradictorio coram iudice causarum civilium causæ feudales ventilentur? Illud inde fieri statuit prælaudatus Dn. Rhet. *ad 7. F. p. 364. n. 16.* quod in iis territoriis nemo possit esse Vassallus, nisi simul sit subditus, uti præsertim hic in Marchia Brandenburgensi & Pomerania, de qua ultima testimonium perhibet Mevius *p. 2. dec. 325. n. 3.* Juramentum enim quod ibi Vassalli pro obedientia præstare tenentur, ejus jurisdictioni, cui id præstiterunt, eosdem subicit, *2. F. 5. §. si vero.* Et inde est, si Vassalli illorum territoriorum alibi habitent, immediate i. e. sine subsidialibus possint citari, cum alias, si non simul subditi essent, per subsidiales citandi fuissent, *Coler. de Process. executiv. p. 3. c. 2. n. 36.* Mevius *d. D. 325. per rotam.*

Quid de Status Imp.

§. VI. Quod ad Status Imperii, & feuda regalia attinet idem statuimus, scil. pares curiæ sive status iudices esse,

esse, si super feudi Regalis investitura vel simili causa feudali inter Imperatorem, qua Imperatorem & Principem Statum controversiæ orirentur; nam Imperatores ipsi ad jus commune feudale provocant, uti ex Capitulatione Inviictissimi Imperatoris Leopoldi §. 4. constat; verb. nicht den versprochenen Belehningen, denen Reichs-Constitutionen und Lehrechten gemäß ic. *Et §. 39. verb.* Wenn nur anders denen Lehrechten gemäß; nec obstat textus ordinat. *Cam. p. 2. tit. 7. ubi cognitio de feudis regalibus ad Imperatoris reservata refertur;* nam intelligendum hoc, si Status inter se litigent, non quando lis Imperatorem ipsum concernit, Dn. Rhetius ad *ad F. p. 363. n. 16. nec obest constitutio A. B. tit. 5. §. fin. cum illa constitutio foro huic singulari feudali non expresse deroget;* Struv. *c. ult. aph. 15. ibique Dd. alleg. Imprimis huc facit testimonium Imp. Sigismundi desumptum ex literis ad Conradum Moguntinum datis Anno 1426. in controversia de Inferioris Germaniæ Provinciis: ibi: Demnach wir treflich beladen, und der Entscheidung nicht wol mögen auswarten, und nemlich auch darum, daß uns nicht gebühret, nachdem wir auch vermeynen Recht zu denselben Niederlanden zu haben, und in unseiner eigen Sache nicht wol mögen Richter geseyn, und wenn die Sache des H. Reichs trefliche Lehn anrühret, so haben wir Fürsten, Graffen und Rätthe darinnen gehabt, und meynen daß billich sey, daß die Sache vor des H. Reichs Manne ausgetragen werde: & hoc jus illud est, quod suo nomine das Fürstenrecht appellatur; Jus nempe cognoscendi de feudis vexillariis, so einem Theil gänzlich und endlich abgesprachen werden sollen. Strauch. *Diff. Exoter. 3. th. 8. conf. Spreng. Fonz. I. P. c. 3.**

cum Imper. litigantibus dicendum.

§. VII. Sed quid dicendum, si Status inter se moveant controversias feudales, judicabitne solus Imperator? Textus


Si Status inter se litigent.

tus

tus 1. *F. 18.* Soli Imperatori decisionem tribuere videtur, idemque confirmari potest *ex Ord. Cam. p. 2 tit. 7.* ubi Camerae concurrentis Jurisdictio cum Imperatore denegatur, si inter tales Imperii Vasallos & super talibus Imperii feudis judicium petitorium instituendum & agitandum sit; Ob Sachen fürstlichen, Fürstenthum, Herzogthum, Graffschaften &c. belangend, so vom Reich zu Lehn rühren, so einem Theil gänzlich und endlich abgesprochen werden sollen, derselben Erkenntniß wollen wir der Kays. Maj. oder ihrer Liebde und Kays. Majest. abwesens uns als Röm. König vorbehalten haben. Verum dicto textu feudali pares Curiae non excludi, sed includi ex aliis textibus probari potest; & quidem ex 2. *F. 15.* generaliter colligitur, non posse feudi Dominum solum, & sine Paribus Curiae constituere judicium feudale, cum ibi; *apud Dominum & in ejus curia*, pro uno eodemque judicio accipiatur, & postea simpliciter dicatur; *apud Dominum.* Idem quod etiam sola Domini appellatione ipsi quoque Pares Curiae comprehendantur, ut 2. *Feud. 58. ff. si Instrumentum vers. notandum.* Sic eodem modo textus Ordin. Camer. tantum de exclusione Cameralium accipiendus est, non vero de Paribus Curiae. Bitch. *ad 1. F. 18. p. 145. 146.* Limn. *ad J. P. lib. 2. c. 9. n. 32.* Si tamen praxi Imperii conformis sententia dicenda est, illa duce indubium est, judicia & Processus de Feudis istis Regalibus Imperatoris nomine solum institui, & per sententiam finiri, & eo intuitu solus in iis esse judex perhibetur; sed sine consilio, consensu Electorum & Statuum Imperii executionem non decerni, *Illustr. Dn. Rhet. p. 432.*

Conclusio.

§. VIII. Plura ratione effectus adduci possent, maxime quoad mutuum Statuum Imp. adjutorium, onera feudi & consensus Convassalli in multis actibus necessitatem; sed temporis angustia exclusus finem impono huic specimini, & Divinae in studiis meis concessae gratiae memor ago
DEO GRATIAS.



Farbkarte #13

B.I.G.

B. h. I, 317
h. 6176

DISSERTATIO JURIDICA
DE
**OBLIGATIONE
VASALLI
ERGA
CONVASALLUM,**

II K
3176

Von
**Der Verbindlichkeit eines Vasallen gegen
seinen Herr-Vasallen;**

PRAESIDE
DN. PETRO SCHULTZEN,
J. U. D. ET INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
PROF. PUBL. ORDINARIO,

RESPONDENTE
JOAN. ANDREA AB ÜCHTRITZ,
EQUITE VET. MARCH.
HABITA

FRANCOFURTI AD VIADRVM

D. XXVI. JULII A. MDCLXXXIV.
JAM RECUSA.



MALAE MAGDEB. SUMTU HENDELIANO, 1736.